





1781.4.8  
A.XX.A  
31

# DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA DE ACTIONE PAVLIANA,

Q V A M

EX DECRETO ATQVE AVCTORITATE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
IN PERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA ERFVRTENSI

PRO GRADV DOCTORIS  
EIDEMQVE ANNEXIS PRIVILEGIIS ET HONORIBVS  
RITE CAFESSENDIS

PUBLICO ERVDITORYM EXAMINI SVBMITTIT

CHRISTIAN. GVILIELM. WEHRN,

P. I. P. ATQVE I. R. E. ADV.

IN AUDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI

IIX. CALEND. IVNII MDCCCLXXI.

---

ERFORD. LITERIS HENR. RVD. NONNI, ACAD. A TYP.

1781.







*Ratio originis actionis Paulianae, atque editio,  
quae de ea extant,*

**C**lure civili stricto tantum abest, ut creditoribus remedia, parta fuerint contra eorum fraudes, qui patrimonium, quod aeri alieno soluendo haud par esse sciebant, animo credidores decipiendi, atque alienatione in fraudis conscientia facta diminuerunt, ut potius secundum idem ius civile ex eiusmodi alienatione omni numero absoluta dominium in doli participes transferit, utpote qui creditoribus alienantis

A 2 iure



iure contractus, quod nullus cum his illis intercedebat, minime gentium obligati erant. 1) Praetor, quem constat sub colore adiuuandarum LL. ciuilium nouas iuris formas, aequitati vt plurimum amicas effinxisse, tanti iuris rigoris antiquandi causa religioni officii sui non defuit, & fraudulentae alienationis vltionem paraturus 2) edixit:

*Quae fraudationis causa gesta erunt, cum eo, qui fraudem non ignorauerit; de his curatori honorum, vel ei, cui de ea re actionem dari oportebit, intra annum, quo experiundi potestas fuerit, actionem dabo: idque etiam aduersus ipsum, qui fraudem fecit, seruabo. 3)*

Hoc edictum Praetor repetit, & praeterea, cum videbat contra aequitatem esse morari aliquem in lucro, quod ex dolosa alienatione sine fraudis scientia percepit, lucrum extorturus adiecit:

*Interdum causa cognita, et si scientia non sit in factum actionem permittam. 4)*

1) l. 26. de contrah. emt. l. 1. §. 1. h, t, seu quae in fraud. credit. facta sunt, vt restit.

2) l. 10. pr. h, t.

3) l. 1. eod.

4) l. 10. pr. & §. 24. cod.

## S. II.

*An haec edicta differant?*

Quidam, atque inter eos cocci. 1) volunt alterum edictum esse reale, alterum vero personale: in qua quidem re magnopere falluntur. Nam verba edictorum ita clare innuunt utrumque, si excipias, quod in altero extensio ad ignaros fraudis fiat, eodem tendere, ut mi-  
rum



rum sit viros laude ingenii atque eruditio*nis conspi*-  
cuos aliud potuisse animo concipere.

1) in I. C. h. t. resp. ad qu. i.

§. III.

*Quomodo actio ex his descendens editis vocetur.*

Actio, quae ex his oritur edictis Praetoris appellatur Pauliana, verisimiliter a Praetore PAVLO eam introducente: 1) vocatur quoquin actio in factum, 2) interdictum fraudatorium, 3) & cum Caluifiana & Fauiana, quibus ea reuocantur, quae facta sunt in fraudem patronorum, 4) commune habet nomen actionis reuocatoria*e*. 5)

1) I. I. I. 10. h. t. I. 38. §. 4. de usur.

2) I. 10. §. 16. & 18. I. 14. h. t. I. 5. C. cod.

3) I. 67. §. I. ad Sct. TREB. I. 96. de solut. IOSEPHI NE-

RII anal. I. I. c. 8. in OTT. th. I. R. t. I. p. 338.

4) tit. si quid in fraud. patr.

5) HAHN ad WESENE. h. t. PEREZ ad C. cod.

§. IV.

*Quae sint fundamenta actionis Paulianae.*

Dupliciter adegit fundamentum actionis Paulianae; alterum alienatio fraudulenta titulo onero*s*o, eiusque participatio, atque adeo delictum fraudis tanquam causa efficiens, 1) quod propter edictum nostrum interdictum quoque vocatur fraudatorium: (§. prae*c*c.) alterum vero actionis nostrae fundamentum in alienatione consistit per modum liberalitatis fraudulenter facta, atque in agnita aequitate naturali, quae vel inscium fraudis cum damno alterius fieri vetat locupletiorem. 2)

A 3

I. 1.



- 1) I. 1. 1. 6. §. 11. l. q. 1. 10. h. t. WERNHER, t. 2. p.  
7. c. 2. n. 15.  
2) I. 6. §. 11. h. t. l. 206. de R. I.

§. V.

*Definitio & diuisio actionis Paulianae.*

Actio Pauliana est actio personalis quasi in rem scripta, quae datur ob alienationem positivam, eamne in causa fiscali negatiuam, a debitore non liberto, aut eum repraesentante persona, fraudulenter factam, 1) creditoribus quibuscumque, 2) quatenus eam haud agnoverunt, 3) & vel tempore factae alienationis adfuerunt, vel in dimissorum locum successerunt 4) eorumque heredibus, 5) aut curatori bonorum debitoris, 6) aduersus determinatos possessores, 7) heredes, 8) similesue personas, 9) ad alienatum titulo oneroso mala fide receptum cum sua causa, 10) vel lucrum perceptum, idemque aut vere, aut ficte extans, restituendum: 11) in subsidium vero ad poenam aduersus debitorem, qui fraudulenter alienauit. 12) Haec actio est vel directa, quando ex verbis edisti descendit, vel utilis, quando ex eius ratione per interpretationem extensiua elicitur. 13)

1) I. 1. 1. 6. l. 10. h. t. l. 45. de iure fisci. tit. si quid in fraud. patr.

2) praeter titulum nostrum generaliter conceptum vide sis I. 1. §. 2. cod. l. 10. l. 21. de V. S. l. 1. C. qui manum. non poss.

3) I. 6. §. 9. l. 10. §. 10. h. t.

4) I. 10. §. 1. l. 15. h. t. l. 15. C. de donat.

5) l.

- \* \* \*
- 5) l. 10. §. 25. h. t. §. 1. l. de perpet. & temp. aet.  
 6) l. 1. h. t. quam contra HUBERVS ad D. h. t. male cu-  
     ratorum bonorum mandato creditorum egere tradit.  
     GODOFR. LVDOV. MENKE autem in dissert. iuridica de  
     actione Pauliana Lipsiae 1747. hab. §. 5. sibi male per-  
     suasit neque curatoris honorum, neque curatoris litis  
     interesse ad instituendam nostram actionem.  
 7) siue veros, siue fictos l. 6. §. 8. h. t. l. 131. de R. I.  
 8) l. 11. h. t.  
 9) l. 10. §. 24. h. t.  
 10) l. ead. §. 19.  
 11) l. ead. §. 24. Restitutio vero non debitori, sed mal-  
     fiae concursus, aut creditori facienda est. Quatenus  
     possessor rem maioris pretii minoris habet, eatenus  
     ipius causa pro lucrativa est reputanda. arg. l. 6. §.  
     11. l. 7. l. 10. §. 24. h. t.  
 12) l. vlt. §. vlt. eod.  
 13) l. 6. §. 13. l. 10. §. 10. l. 11. l. 18. eod.

### §. VI.

*Quae alienatio hic veniat, & quomodo dividatur.*

Alienationis nomine, si sicutum excipias, hoc loci ve-  
 nit omnis vel faciendo, vel omittendo 1) a debitore  
 fraudulenter 2) effecta diminutio patrimonii positiva, 3)  
 eaque participata, si facta est titulo onerofo. 4) Neque  
 ambigitur, tum quoque alienationem adesse, cum credi-  
 tor debitori fugienti post bona eiusdem possessa debitum  
 auferat: quo casu tamen auferre est sine vi consequi. 5)  
 Alienatio vero in diversas abit formas. Primum enim est  
 vel specialis, quae fit traditione rei in alterum animo  
 dominii transferendi facta, 6) vel generalis, si alio mo-  
 do



do res in bonis debitoris esse fraudulenter definit. Tum est vel corporalis, vel incorporalis, prout aut res corporales, aut incorporales, seu iura atque actiones, alienantur. Deinde est vel mediata, vel immediata. Haec per indirectum patrimonium debitoris diminuit, veluti si debitor alteri suppedet exceptionem: 7) illa autem patrimonii diminutionem directo operatur.

- 1) l. 4. h. t. l. 28. de V. S.
- 2) l. 6. §. 8. & 11. h. t.
- 3) l. 6. l. 10. §. 1. l. 19. l. 20. h. t. l. 134. de R. I. ex cipe fiscum. l. 45. de iure fisci.
- 4) l. 9. h. t.
- 5) l. 10. §. 16. h. t. GUIL. FORNER. Select. l. 3. c. 12. dissent. CVIAC. l. 16. o. 19.
- 6) l. 14. h. t. vlt. C. de reb. alien. non alien. l. 1. C. de fundo dotali,
- 7) l. 3. h. t.

#### §. VII.

*Quatenus liceat interpretatio extensiva interdicti fraudatorii.*

Quodsi casus, non verbis quidem LL. sed earumdem ratione comprehensus, occurrit, interpretatio extensiva locum habet, quod, vt hoc vtar, sit in rebus alodialibus fraudulenter in feudum conuersis. 1) Caue tamen solius aequitatis studio rationem interdicti fraudatorii deferas. Haec enim semper requirit alienationem fraudulentam, eiusque, quoties non de liberalitate reuocanda agitur, participationem.

1) CARPZ. I. resp. 83.

#### §. VIII.



## §. VIII.

*Natura actionis Paulianae a DD. in controversiam  
vocata est.*

Cum leges saepe leges, argumenta argumenta, analogiae analogias, opinioneis opinioneis premant, multaque extent iuris doctrinae, in quibus multi multos pernagati sunt errores, quaeue miserandum in modum in aliqua qualicunque parte a DD. dilacerantur, & pro ea, quae est iurisprudentiae facies, maxima pars ictorum ea condicione nati esse videantur, ut penes illos quandoque bonus dormitet HOMERVS, adeo ut, quo ut utar, CYIACIVS foeminas Ictis proprie homines esse negauerit, 1) in quo se haud minus turpiter deridendum praebuit, quam deridendum fuit illud Scutum, quod Diis ius trium liberorum concessit: non est, quod miremur actionis quoque Paulianae indolem apud DD. in disceptatione & lite, quae adhuc sub iudice est, versari. Alii eam esse personalem statunt, 2) quorum quidam in rem scriptam esse adserunt; 3) alii realem esse contendunt; 4) alii mox personalem, mox realem esse adfirmant; 5) nonnulli moti difficultatibus, quae tam has, quam illas opiniones premunt contra §. I. I. de act. & I. 25. de obligat. & act. absurdè sentiunt neque actionem nostram personalem, neque esse realem. 6) Sunt quoque inter hos, qui Charybdim vitaturi inciderunt in Scyllam. 7) Qui-dam tandem qualitatem actionis nostrae tacitam reliquerunt. 8)

1) l. 6. o. 21.

B

2) ita



- 2) ita sentiunt GIPHANIVS, DONELLVS, VINNIUS & SCHNEIDERW. ad §. 6. I. de act. WESENE. in parat. D. h. t. ant. FAER I. 20. coni. 16. HEINECC. in I. §. 1141. in D. §. 283. & in recitat. ad I. l. 3. t. 6. WESTENB. in I. d. t. §. 46. & in D. d. t. §. 12. VOETIVS in Comment. ad D. h. t. §. 2. THOMASIVS ad HVBERVVM in I. l. 4. t. 6. BEYERVS ad D. h. t. & postit. 75. I. de act. WISSEN. exerc. ad D. h. t. th. 17. & in vindic. de mutuo th. 8. p. 41. sq. GOTTL. STVRMIVS, aut is, cui praesidium praeferitur. IO. BERN. FDIESE in disput. de genuina possessionis indele, Ienae 1725. §. 10. ill. HOMMELIVS rhaps. o. 539 n. 16.
- 3) Inter hos sunt HVBERVVS ad I. l. 4. t. 6. n. 9. MYNSINGER in schol. ad I. d. t. n. 19. WERNHERVS t. 2. p. 7. o. 2. n. 3.
- 4) Hac opinione decantur CVIAC. ad d. §. 6. I. VVLTTEL. ad eund. §. & in iurispr. Rom. §. 5116. HEINECC. in antiquit. I. 4. t. 6. §. 29. BACHOV. ad d. §. 6. I. & disput. 3. de act. th. pen. & ad TREVIL. v. 2. d. 24. th. §. lit. a. STRVY. in S. I. C. h. t. ad eundemque MÜLLER. LAVITERA. in coll. th. pr. b. t. §. 3. FRANZK. ex. 15. qu. 4. & ad §. 6. I. de act. SCHILTER. ex. 46. §. §. 51. 52. BERGERVS in oecon. iur. I. 2. t. 2. §. 34. ECKARD. in exam. act. for. parte IO. p. 282.
- 5) Huic sententiae addicti sunt MOLLENB. cent. 3. d. 27. nn. 28. 29. HABN ad WESENE. h. t. STRYCK. V. M. D. h. t. §. 5. BOEHMER. de act. Sect. 2. c. 2. §. 27. qui male contentiōnem, virum actio nostra sit realis, an personalis, inanem putat. ROTHER. ad LVDOV. D. h. t. §. 4. COCCEI. in I. C. cod. MENCHEN in d. d. §. 2. 3. IO. IVST. RAABE in dissert. de dupli actione

Pau-

Pauliana, Marburgi 1753. cel. DIETRICH in S. I. C.  
§. 298.

- 6) ita v. c. opinatur HOTOMANNVS ad I. d. t.
- 7) Horum de numero sunt BOEHMERVS & I. qui actionem nostram ex dominio facta derivat, mox tamen adserit eam non esse pure personalem. HEINECC. in recit. ad I. d. I. qui relationis inter act. reales defensionem addgreditur, & nihilominus adicit actionem nostram esse personalem. BACHOV. v. c. d. 24. th. 5. lit. h. sibi contradicens approbando d. §. 6. I. Paulianam realibus adiectam esse actionibus, & mox addendo eam non solum personalis, sed realis etiam actionis naturam sapere.
- 8) Cura se ita expedierunt LYDOV. atque ill. HELLFELD. in D. h. t.

§. IX.

*Actionis Paulianae natura non debet usque quaque secundum §. 6. I. de act. diiudicari.*

Communis interpretum iuris est opinio d. §. 6. de actione Pauliana esse accipendum, a qua sententia quidam ICHI, atque inter eos DONELLVS & VOETIVS d. I. diuortium faciunt. In rationes si inquisueris, veritatem communis DD. opinionis agnoueris. Nam primum textus d. I. generaliter loquitur traditionem in fraudem creditorum faciem. Quae vero eiusmodi de alienatione alia in iure nostro extat actio in genere concepta, nisi nostra? Dicat quis Seruanam, aut quasi Seruanam? Sed hae actiones, praeter quas ne vestigium quidem actionis pignoratitiae in D. occurrit, separantur ab ea, de qua sermo est in d. §. 6. 1) Deinde non est, quod verba textus:



*bonis a creditoribus possitis; referamus ad tempus alienationis, cum haec verba temporis actionis instituenda possint accommodari, eidemque D. conuenienter sint accommodanda.* 2) Tandem natura actionis nostrae, quod probe notandum est, non potest, nec debet ex d. textu I. vtpote fugitiuo atque incidente, diuidicari, sed ad se dem materiae ordinariam, eamque in D. & C. extantem, est referenda, quae, vt probaturi sumus, non finit actionem nostram esse realem. Quae cum ita sint dolenda in eo fragilitas ingenii humani, quod magni nominis & stupendae eruditio viri contra tam claram hermeneuticae regulam, atque euidentissimas mox proferendas rationes errorem, in quem compilatores I. d. §. dum Paulianam pro reali venditarunt actione, inciderunt, summo studio defendere conati sint. Quodsi contra fecissent, se non incassum excruciasserent, & se non absurdis permisissent.

1) §. 7. I. de aet.

2) BACHOV. v. 2. d. 24. th. 5. lit. a. qui tamen ANT. FABR. male reprehendit.

#### S. X.

*Actionem Paulianam non esse realem evincitur.*

Extra omnem habitationis aleam primum positum est, actionis realis, seu vindicationis proprium esse, vt rem sequatur, & pro materia detur subiecta contra quemcunque infirmiori saltet iure possidentem. 1) Generaliiter si dixeris actionem realem contra quemcunque possessorem dari, erraueris, cum v. c. constet hereditatis

Peti-

petitionem tantum aduersus possidentem pro herede vel possesse, & Publicianam aduersus infirmiori iure possidentem competere. Deinde actio realis, sive vindicatio, hoc fundamentum habet, ut actor rem ideo petat, quod sit sua. 2) Quorum tantum abest, ut quid actioni nostrae conueniat, ut in hac potius longe alia obtineant. Namque ex facto doloso alienantis oritur, 3) atque in casu alienationis titulo oneroso factae tum demum aduersus possessorem datur, si fraudis est conscius. 4) Cum vero frans, eiusque participatio in delicta incident, 5) atque actiones ex maleficio proditae, sint in personam: 6) sequitur, ut actio nostra sit personalis. Quando vero datur contra fraudis inscium, qui per liberalitatem rem accepit, tum simul fundamento aequitatis naturalis nititur, quae meminem vult cum damno ulterius fieri locupletiorem. 7) Neque igitur hoc casu potest esse realis. 8) Quodsi porro ad fundamentum petendi, quod est in actione Pauliana species, animaduertas non in ea acto rem suam esse dicere, sed contra eam ideo petere, quod tradita non fuerit, atque in bonis debitoris esse haud defierit. 9) Quibus euiculis facile perspicitur non posse actionem nostram ficto nisi dominio creditorum, utpote quod ii ante alienationem non habuerunt, & quod ipsis post eam nusquam attributum est. 10) Tum consequens supradictis est, ut actio nostra nec iure pignoris consistat. Praeterea ficto a quibusdam pignori in Pauliana nullum locum relinquendum esse exinde etiam colligitur, quod ea non competit, quando alienationem ex-



tra liberalitatis modum post bona factam debitoris possessa, atque adeo contra pignus praetorium, quo tum creditores gaudent, respicit, nisi si recipiens fraudis sit conscientius.<sup>11)</sup> Quis enim negauerit alienationem post bona possessa factam vel maxime, atque indistincte reuocandam esse actione nostra, si, quod negauimus, iure pignoris moueretur? Tum actio Pauliana, quamvis non per eam solum actiones restaurentur, sed dominia quoque reuocentur, in factum passim dicitur,<sup>12)</sup> quo sub nomine nulla alia actio, quam personalis, venire potest: nam omnes actiones in factum ex aequitate agnitaे naturalis dandi, faciendo obligationis descendunt, adeoque sunt personales.<sup>13)</sup> Actio Pauliana porro cum Fauiana & Caluisiana genus ducit ab alienatione in fraudem creditorum a debitore facta.<sup>14)</sup> Fauiana procul dubio est personalis.<sup>15)</sup> Caluisiana autem a Fauiana in eo tantum differt, quod illa detur in casu, si libertas intestatus decessit.<sup>16)</sup> Nullo ergo modo exequitari potest discri-  
men, quod actionem Paulianam a reliquis actionum spe-  
ciebus reuocatoriарum ita seingat, ut illam reddat realem. Ad quae accedit, quod in d. l. 38. simileiter de  
restitutione fructuum in actionibus personalibus quaeratur, ibique cum Fauiana etiam Pauliana coniungatur. Id quidem,  
quod actio nostra contra heredes detur, nihil ad eruen-  
dam eius qualitatem personalem confert, cum detur non  
contra heredes, qua tales, sed qua possessores,<sup>17)</sup> quod  
NONELLVM I. c. latuit. MENCKE<sup>18)</sup> quidem nodum ex-  
pediturus actionem nostram vix creditori hypothecario reli-

relinquit, ac mentem tam a ficto pignore, quam ficto domino, abstraxit, addiditque Paulianam speciem esse restitutionis, quod dubio caret, atque huius actionis fundatum in restitutione ita posuit, ut adfirmaret eam mox esse realem, mox autem personalem, prout debitor ius aut reale, aut personale remiserit. Belle! lepide! Quis enim non animaduerterit petitionem principii, circulumque, in quem MENCHE indulgendo ingenio incidit? Quomodo autem Pauliana interdum possit esse realis, si, ut ipse fatetur, neque iure hypothecae, neque ficti pignoris, aut ficti dominii mouetur, id ego cognoscere sum auidissimus. Sed ut finem haec disputandi faciamus, est tandem juris explorati omnem actionem realem excludere persecutionem rei contra non possidentem, 19) cuius contrarium in nostra interdum deprehenditur actione. 20) Quibus omnibus consequens est, ut Pauliana nunquam salua veritate numero actionum realium haberi possit.

1) l. 9. l. 36, de R. V. l. 25, de O. E. A. l. 2. C. s. vn. ex plur. hered. l. 16. §. 3, de pign. l. 18. C. eod. l. vlr. de Publ. in rem act.

2) l. 23, de O. E. A.

3) l. 1. l. 6. §. 11. l. 10. h. t. WERNH. t. 2. p. 7. o. 2. n. 15.

4) l. 1. l. 9. l. 10. h. t. l. pen. C. eod.


5) l. 16. de dolo.

6) §. 1. l. de act. l. 25, de O. E. A.

7) l. 6. §. 11. h. t. l. 206, de R. I.

8) d. l. 25.

9) l.



- 9) l. 10. §. 22. l. 14. h. t. §. 6. I. de act.  
 10) COCCEL. I. C. d. l.  
 11) l. 9. h. t.  
 12) l. 10. §§. 15. 18. l. 14. h. t. l. 5. C. cod. l. I. de  
     peaeser. verb.  
 13) l. d. 25. WISSEN. ad D. tit. de interd. th. 1. & in  
     vind. de mutuo th. 8. STRVVS in S. I. C. ex. 25. l. 19.  
 r. 4. LAVTERE. in Compend. D. cod. EACHOV. de  
     act. d. 4. th. 24. VINNIVS ad §. f. I. de L. Aquil. ill.  
     ROMMEL. rhaps. o. 537. n. 8.  
 14) l. 1. l. 10. h. t. l. 38. §. 4. de usur. tit. D. si quid in  
     fraud. patr.  
 15) l. 1. §. 26. cod.  
 16) l. 3. §. 3. cod. l. 2. C. si in fraud.  
 17) l. 11. h. t.  
 18) d. l. §§. 2. 2.  
 19) l. 9. l. 35. de R. V.  
 20) l. 14. h. t.

### §. XI.

*Aetio Pauliana, quatenus contra possessorem competit,  
est personalis quasi in rem scripta.*

Omnis actio in rem scripta, quae si originem spe-  
cetes, est personalis, ad exemplum actionis realis datur  
contra possessores. 1) Nostra autem actio non competit  
aduersus possessores tit. oneroſo fraudis inficioſos, nec con-  
tra titulo lucrativo possidentes, si alienatio sine animo de-  
raudandi a debitore eſt ſucepta, aut ſi is, qui b. f. per  
modum liberalitatis accepit, non in lucro amplius verfa-  
tur. 2) Inde ergo fluit Paulianam non eſſe ſimpliciter  
in

in rem scriptam. Quoties vero contra possessorem datur, toties aliquid ex natura actionis in rem scriptae participat, atque igitur quasi in rem scripta dici potest. Quia de causa tum in foro rei sitae contra possessorem institui posse eo minus dubito, quo magis LL. finem, restitutionem nempe rei cum sua causa, volentes, media quoque, eaque apta & concinna velle debent. 3)

1) l. 9. §. 8. quod met. caus. geit. HOPPIVS ad §. 25. I.  
de act.

2) l. 6. §. 11. l. 9. l. 10. §. 24. h. t.

3) arg. l. 38. de iud.

### §. XII.

*Casus potiores, in quibus actio nostra obtinet.*

Quum actio nostra detur propter alienationem possitiam animo defraudandi credidores a debitore suscep-  
tam, eamque a creditoribus non agnитam, fraudisque,  
si liberalitatem excipias, participationem (§§. V. VI.) ef-  
ficitur I. vt competat contra possessorem, siue verum, siue  
fictum, in quem scienter alienatio fraudulenta titulo one-  
roso facta est, 1) in quo vel ad tempus contractus, vel ad  
tempus traditionis ad rationem participationis fraudis ha-  
bendam respicitur. 2) II. vt detur contra eum, in quem  
fraudis inscium liberalitas, sub qua hoc loco dos quoque  
venit, a debitore fraudulenter agente peruenit, 3) vel  
contra quemcunque, qui lucrum ex alienatione fraudulenta  
sensit, quatenus in lucro versatur, doloue malo eius  
factum est, quo minus versetur. 4) III. vt nostra actio-

C

ne



ne heredes feneantur in id, quod ad eos peruenit, 5) quod moribus, qui nunc sunt, ita ampliatur, ut heredes ex delictis defuncti in solidum obligentur. 6) IV. vt conueniri possint ii, qui in fraudem paris creditorum conditionis, quae bonis facta est possessis, solutionem acceperunt, aut cum creditore contraxerunt. 7) V. vt nostra etiam actio dirigatur contra eum, qui vel ante bona possessa cum debitore ob aerato collusit, & sic solutionem, aut pignus in fraudem reliquorum creditorum accepit. 8) VI. vt successor singularis antecessoris dolosam alienationem participans, reuocatoriae nostrae actioni subiaceat. 9) VII. vt ea possimus contra eum experiri, qui vnum sciuit creditorem fraudari, caeteros ignorauit, 10) quo casu non liberatur offerendo id, quod ei debetur, quem sciuit creditorem. 11) VII. vt ea is tandem teneatur, qui vendente debitore testato conuentus est a creditoribus ne emeret, & tamen emit. 12)

1) l. 11. §. 2. l. 6. §. 9. l. 9. h. t.

2) l. 10. l. 48. de viurpat.

3) l. 6. §§. II. 13. h. t. l. 2. l. 5. C. eod.

4) l. 10. §. 24. l. 6. §. 11. D. l. 2. l. pen. C. h. t.

5) l. 11. h. t.

6) voest. C. in D. tit. de dolo malo §. 12.

7) l. 6. §. 7. eod. MEV. p. 4. d. 142.

8) l. 1. l. 10. h. t. l. 6. de reb. aut. ind. possid.

9) l. 9. h. t.

10) l. 10. §. 7. cod.

11) l. d. §. 8.

12) l. 10. §. 3. h. t.

### §. XIII.

## §. XIII.

*Casus, in quibus potissimum actio nostra cessaat,  
recensentur.*

Hactenus de casibus potioribus, in quibus actio nostra obtinet: sequuntur ii, in quibus cessat. Ex principiis §§. V. VI. contentis consequitur I. vt non reuocetur, quod fraudandorum creditorum causa factum est, si euentum fraui non habuit. 1) II. vt actioni nostrae non subiaceat possessor, qui titulo oneroso rem b. f. licet post bona debitoris possessa, accepit. 2) III. vt non locum habeat contra eum, qui rem b. f. per modum liberalitatis accepit, & non amplius in lucro versatur. 3) IV. vt non possit, fisco excepto, institui ad persequenda ea, quae quis adquirere potuit, nec tamen in fraudem creditorum adquisiuit. 4) V. vt hoc edicto non coerceatur is, qui solum sibi vigilando suum a debitore, quem seit haud esse soluendo, consecutus est. 5) VI. vt ea non teneatur possessor ex permutato, quatenus debitor permutans in fraudem creditorum liberalis haud fuit. VII. vt non reuocentur fraudulenter gesta defuncti, si creditores fidem heredis fecuti sunt. 6) VIII. vt cesset pro portione hereditaria, si creditor succedit fraudatori. 7) IX. vt ii nostram actionem timere non debeant, qui possident ex alienatione scientibus, consentientibus, aut renunciantibus creditoribus facta. 8) X. vt non contra eos competrat, in quos debitor, antequam alios creditores sortitus sit, honorum suorum partem, aut bona omnia, sive titulo oneroso, sive per modum liberalitatis, inter vitios

transtulit. 9) Aliud in relictis ultima voluntate obtinet, quae non intelliguntur, nisi deducto aere alieno. 10) LEYSERVS quidem sp. 494. m. 2. sq. donationem rei singularis, vel maxime partis bonorum inter viuos ante aes conflatum alienum irreuocabilem esse fatetur, sed in donatione omnium bonorum aliud vult ex I. 72. de iur. dot. & I. 15. C. de donat. elicere: quae leges tamen nullo modo ipsius sententiae fauent. Nam d. I. 15. de herede loquitur, & cauet, vt, cum non plus ipsi commodi, quam defunctus habuit, relinqui possit, 11) & non plus sit in bonis, quam quod superest deducto aere alieno, tanquam successor totius iuris a defuncto relicti, 12) oneri soluendi aeris alieni a defuncto relicti subiaceat. Contra haec lex donatarium, & quidem simpliciter loquendo quemlibet, 13) bonorum nemini tempore donationis obligatorum ab onere soluendi aeris alieni postea contracti liberat. Ad I. d. 72. quod attinet, haec de aere alieno, quod fuit tempore, quo omnia bona in dotem data sunt, est intelligenda, 14) & sic nostrae sententiae non aduersatur. Quamuis autem donatarius omnium bonorum inter viuos, quo de agimus, in ius donantis successerit, id tamen non impedit, quo minus nostrae sententiae inhaeremus, cum eiusmodi donatarius in eo tamen ab herede differat, quod titulo succedat singulari, inque ius viuentis nullos alios tum habentis credidores. XI. vt edicto fraudatorio non is notetur, qui ex iure posteriori licet vel post bona possessa, vel ex iure, quod cum reliquis creditoribus habet aequale, ante bona possessa solutione.



lutionem accepit. 15) XII. perspicitur quoque ex principiis supradictis non teneri nostra actione cum, qui pignus in creditum, idque aut vetus, aut nouum, ante bona possessa accepit, 16) nisi si in fraudem caeterorum creditorum factum sit. 17) Fraus tamen haec ita est intelligenda, ut non solum debitor animo defraudandi caeteros creditores pignus dederit, sed id quoque sciens fraudem creditor receperit. 18) Cum enim plus sit accipere solutionem, quam pignus, atque a maiori ad minus valeat consequentia, 19) iurisque praeterea manifesti sit pecuniam debitam ante debitoris possessa recipi posse, quamuis quis debitorem sciat haud esse soluendo, 20) atque indistincte solutio, quam creditor citra collusionem ante bona possessa accepit, sit irrevocabilis, 21) & non prius quam bonis possessis par omnium creditorum efficiatur conditio, 22) ac deinde is, qui, quod sibi debetur, recipit, nullam fraudem faciat, 23) tandemqne, si queritur: an alienatio reuocari possit? nulla ratio adsit, quae aliud in pignore, aliud in solutione caueat: 24) pignus tum derum poterit reuocari, cum animo defraudandi reliquos creditores datum, & scienter acceptum sit, adeoque collusio inter debitorem dantem & credito-rem accipientem intercedat. LEYSERVUS 25) maxima pars DD. dissentunt, a quorum sententia, cum non auctoritate, sed rationibus vinci cupiam, non potui non discedere. Quanta vero DD. sententia contraria interrumptur lacuna, ii viderint, qui secum reputauerint arrestum reale, eo loci, quo usu seruatur, a creditore eo tempore



impetratum, cum concursus debitori, eique alii creditores instarent, valere, atque impertrant, quanquam totus in eo fuit, vt reliquis creditoribus, quatenus fortiori non sunt muniti iure, licet instantibus, praeueniret, ius potius conciliare.

- 1) l. 10. §. 1. h. t.
- 2) arg. l. 6. §. 8. l. 9. eod.
- 3) l. 6. §. 11. l. 10. §. 24. eod.
- 4) l. 6. pr. l. 19. l. 20. eod. l. 134. de R. I. GOMEZ. var. resol. l. 2. c. 4. n. 24. BERLICH. p. 1. d. 114. n. 17. & 18. LAVETERE. eiusque comment. MENCKE, TITIVS & STRYCK. h. t. Non desunt tamen multi, qui propter acquitatis rationem diuerso modo dissentient. Neque ergo cessarem in aquissimam horum sententiam pedibus ire, nisi cognitum perspectumque haberem, quem abstinere debere a componendo dissidio, quod manifeste inter ius, atque acquitatem intercedit, l. 12. §. 1. qui & a quib. manum. l. 1. C. de LL.
- 5) l. 6. §. 7. Male MENCKE d. d. §. 6. fraudis societatem ex sola scientia creditorem haud soluendo esse colligit.
- 6) l. 10. §. 10. h. t.
- 7) l. 6. C. de hered. act.
- 8) l. 145. de R. I. l. 6. §. 9. h. t.
- 9) l. 1. l. 10. l. 15. l. 17. h. t. l. 15. C. de donat, CARPZ. p. 2. c. 12. d. 28. & 29.
- 10) l. 39. de V. S. §. vlt. l. de L. FALCID. l. 72. de iur. dot. l. 2. de collat. l. 15. C. de legat.
- 11) l. 120. de R. I.
- 12) l. 24. de V. S. l. 62. de R. I. l. 9. §. 12. de hered. inflit.
- 13) l. 67. §. 1. de V. S.

14)



- 14) Talem mentem huius legis esse ipsius contextus, LL que  
10. S. 1. l. 15. l. 17, h. t. l. 12. de donat. l. 15. C.  
eod. probant.
- 15) arg. l. 6. §. 7. h. t. STRVV. S. I. C. d. l. th. 80.  
& 81.
- 16) l. 13. h. t.
- 17) l. 6. §. 6. l. 10. §. 13. l. 22, cod.
- 18) l. 1. l. 6. §. 8. l. 10. eod.
- 19) l. 21. de R. I.
- 20) l. 6. §. 7. h. t.
- 21) l. 24. eod.
- 22) l. 6. §. 7. eod.
- 23) l. ead. §. 6.
- 24) voet. ad D. h. t. n. 18.
- 25) Sp. 495.

## §. XIV.

*An actio nostra contra eum locum habeat, cui haud collus-  
denti instanti concursu debitor de solutione  
gratificatus est?*

Ex principiis supra relatis (§§. V. VI.) perspicitur  
non posse actionem nostram institui contra eum, cui igno-  
ranti debitoris animum ipsi gratificandi, & reliquis cre-  
ditoribus praejudicandi, adeoque haud colludenti, solutio,  
instante licet concursu, facta est. 1) Collusio autem tum  
demum adeit, si duobus creditoribus simul vigilantibus,  
atque instantibus, debitor, qui non est soluendo, horum  
haud ignaro satisfacit. LEYSERV. sp. 495. contra l. 1. l.  
6. §. 8. l. 10. h. t. eiusmodi de scientia creditoris acci-  
pientis non cogitat. Haud ignoro quidem in l. 6. de  
reb. auct. iud. possid. Paulum secundum Julianum ex  
causa



causa statuendum esse existimare, atque interdum **Sceuen-**  
 iam dicere non esse iniquum aduersus creditorem dari  
 repetitionem quasi indebiti soluti. Sed hanc le-  
 gem nude, & sine salis mica non posse accipi, contra  
 autem, si tam rationem, quam dispositionem iuris in no-  
 stra actione saluari esse velimus, praesupponere collusi-  
 onem eius, qui solutionem accepit, rationes sequentes  
 demonstrant. Primum creditori licet ad suum con-  
 sequendum vigilare, quamvis solutionem debtor studio  
 ab eo, quem secum acturum esse suspicatur, auertat.  
**2)** Deinde **IVLIANVS** ipse testis est, eum, qui debitam pe-  
 cuniam recipiat, ante quam bona debitoris possideantur,  
 quamvis sciens prudensque soluendo debitorem non esse  
 recipiat, non timere hoc edictum: Sibi enim vigilasse.  
**3)** Tum **VIPIANVS** adfirmat bonis demum possellis pa-  
 cem creditorum fieri conditionem. **4)** Quid? quod,  
 Scaeuela quaerit, an distinguamus per gratificationem  
 quis solutionem acceperit, an non? & hoc, quibusdam  
 que aliis dubiis motis simpliciter decidit non esse reu-  
 candam solutionem, quam accepimus. **5)** Cui deci-  
 sioni, si collusio absit, eo magis standum est, cum is, qui  
 b. f. bonis iam possellis emit, Pauliana non teneatur, **6)**  
 ac possessor, qui non in liberalitate versatur, tum tan-  
 tum coerceatur, si sciens debitorem in fraudem credito-  
 rum facere, suscepit, quod in fraudem creditorum fie-  
 bat. **7)** Quamvis haud inficias eam reliquos quoque  
 vigilare creditores, qui ante concursum debitori instant,  
 non ipsis tamen ius aequale eius, qui vigilantiam ad id  
 produxit, ut suum receperit, attribuendum censeo, cum  
 demum

demum bonis possedit par omnium creditorum conditio efficiatur, 8) &, si quis, cum suspicaretur alium secum acturum, alii soluat, non dubitandum de hoc, quin non teneatur. 9) Largior quidem contrariam sententiam, quae D.D. in communem venit opinionem, aequitatem pro se habere, sed quis est, qui ipsis potestate dedit rationem interdicti fraudatorii, quae in recipiente extra liberalitatem participationem fraudis requirit, 10) deferrendi, & contra eum, qui suum sine collusione, instante licet concursu, consecutus est, statuendi? Praeterea dispositio iuris certa, quae est nostra in determinanda fraude, eiusque participatione in Pauliana, non est euertenda ex ratione vigilantiae, quae in vrgenda atque accipienda solutione redditur, cum inertes saepe *αττιλογίας*; nemud inadæquatae, a Iureconsultis reddantur. 11) Quid vero vetat rationem ex vigilantia desumptam pro inadæquata habere, & causam non reuocandæ solutionis, de qua hic agimus, in eo ponere, quod is, qui iure suo vitatur, nemini damnum faciat, atque is, qui suum sine collusione recipiat, nihil dolo faciat? 12) Nonne enim, cum creditor recipere possit solutionem ante bona possessa ab eo, qui scienter non est soluendo, 13) potest dici eum studio sui persequendi, & sine collusione, ius habere solutionem accipiendi, ab eo, qui est concursus candidatus? Quibus de causis, mea quidem sententia, l. d. 6. cum l. d. 24. h. t. toti doctrinae conuenienter, atque adeo commodissime, sic componenda est, vt statuamus in priori sermonem esse de eo, qui solutionem colludendo cum

D

cre-



creditore accepit, atque in posteriori de nullo casu col-  
lusionis, sed de sola studio sui persequendi ad hibita vi-  
gilantia esse cogitatum. Quae cum ita sint, prior lex  
posteriori, in qua stilus contextusque iubent legere *possit*,  
non *poteſt*, minime omnium fulcienda est, in cuius tamen  
contrarium DD. inciderunt. Namque hanc legem, si  
quis accutius consideret, inueniat omnibus ibi propo-  
fitis quaestionibus rationes dubitandi subiunctas esse, at-  
que in fine vnicam, eamque generalem, non reuocandae  
solutionis cum ratione decidendi occurrere decisionem,  
cui etiam l. 31. de min. XXV. ann. respondeat. Mirum  
est, Voetium, qui decisionem negatiuam d. l. 24. in C.  
ad D. agnouit, non cogitasse de ea pro ratione edicti frau-  
datorii cum d. l. 6. concilianda.

- 1) l. 6. §. 7. & 8. l. 24. h. t.
- 2) l. 21. de pecul.
- 3) l. 6. §. 7. h. t.
- 4) l. ead.
- 5) l. 24. eod.
- 6) l. 9. eod.
- 7) l. 6. §. 8. eod.
- 8) l. 6. §. 7. eod.
- 9) l. 21. de pecul.
- 10) l. 1. l. 6. §. 8. l. 10. h. t. l. 5. C. eod.
- 11) RADVLPH. FORNER. ter. quotid. l. 3. c. 23. in t. 2. th.  
o. t. p. 218.
- 12) l. 55. l. 129. l. 151. de R. I. l. 6. §. 6. h. t.
- 13) l. 6. §. 7. h. t.

§. XV.

## S. XV.

*Quid & quibus modis in nostra actione probandum sit.*

Quod si reus non fateatur fraudem, in regula probandum est in Pauliana alienationem animo defraudandi creditores cum effectu factam esse, & si non de liberalitate quaeritur, dolum recipientem participasse<sup>1)</sup> & quidem vel tempore contractus, vel tempore traditionis.<sup>2)</sup> Actoris itaque est in eo ponere libelli fundamentum. Si fiscus, aut ciuitas hac actione experiatur, sufficit probasse fraudem alienantis.<sup>3)</sup> In alienatione omnium bonorum, quam fecit is, qui creditores se scit habere, consilium defraudandi intelligitur.<sup>4)</sup> Cum itaque probatio omnis, de qua hic agitur, animum simul respiciat, ut plurimum ea est spinosa. Fit autem, si quis aliis probandi mediis vti haud velit, possitue, per indirectum præsumptionibus & conjecturis perspicuis, iisque ex qualitate facti eruendis,<sup>5)</sup> quarum de numero est emtio ab eo, cuius bona scienter non sufficiunt creditoribus.<sup>6)</sup> Non quoque hoc ambigitur debitorem præsumendum esse de fraude suspectum, si bona alienauit, que suis debitis haud sufficere ex facto proprio vincibili ignorat.<sup>7)</sup> Eriamisi vero vel pupillus, vel curandus, vel dominus, vel pater, vel principalis persona ignorauerint in fraudem creditorum gesta, hæc tamen non impediunt, quo minus fraudati creditores propter scientiam tutoris, aut curatoris, aut serui, aut filii. aut mandatarii possint reuocare.<sup>8)</sup>

D 2

1) l.



- 1) l. 6. §§. 8. 11. l. 10. pr. & §. 2. D. l. 5. C. h. t. l. 18. §. 1. de probat. MENCKE d. d. §. 14. & 17. acquisitatis studio his LL. aduersantibus statuit alienationem titulo lucrativo factam reuocandam esse, quamvis alienans in fraude haud fuerit versatus.
- 2) l. 2. pro emto, l. 10. l. 48. de usurpat. l. 1. pro donato.
- 3) l. 45. de iure fisci, l. 2. C. de debit. ciuit. l. 11. qui & ea quib. manum.
- 4) l. 17. h. t.
- 5) l. 6. C. de dolo. l. 8. l. 10. C. de rescind. vendit. REZ. ad t. C. de reuoc. his, quae in fraud. credit. SCHNEDW. ad §. 6. l. de act. n. 70. sq. ALCIAT. ad l. 25. C. de transact. MASCARD. de prob. v. 1. c. 94. & 95. & v. 2. t. 815. MENOCH. de praecl. l. 5. p. 3. CARPZ. l. 1. resp. 83. n. 17.
- 6) MENCKE d. d. §. 6.
- 7) l. 3. de iur. & fact. ignor. l. 7. de acquir. vel omitt. heredit. l. 37. ad SGT. VELLEI. l. 226. de V. S. MENCKE d. d. §. 14.
- 8) l. 6. §. 11. sq. l. 10. §. 5. h. t.

#### §. XVI.

*Restitutio, ad quam nostra actio tendit, cum sua causa determinatur.*

Primum omnium sciendum est hac actione regim conuenit, si personam interposuerit, ut ei fraudator res tradat; actionem contra hunc competentem cedere oportere, 1) & nemine interposito, Paulianam direcere tendere ad restitutionem, seu restorationem, eamque vel totalem, vel partialem, factae alie-

alienationis cum sua causa. 2) Deinde vero actio nostra, quatenus non interposita persona competit, vel ab uno creditorum mouetur, vel non. Illo casu secundum rationem actionis nostrae, analogiam iuris, & arg. auth. & qui C. de bona auct. iud. possid. reuocatio pro rata fit. Hoc autem existente casu vel concernit lucra reuocanda, vel non. Quodsi lucra extorquenda spectat Pauliana, tum vel valet ad reuocandam liberationem, seu remissionem obligationis a debitore fraudulenter acceptatione, aut pacto factam, 3) vel ad alia lucra restituenda. Si liberationis reuocatio nostrae obiectum est actionis, omne id, quod alienans ex obligatione debitoris consecutus fuerit, liberatione non facta, & propter hoc etiam medii temporis commodum, seu id, quod est inter alienationem, iudiciumque inchoatum, praestandum erit. 4) Hinc conditionalis obligatio cum sua conditione, obligatio in diem cum sua die restauranda est. 5) Quodsi vero de alio lucro extorquendo agitur, tum id, quod ad aliquem peruenit lucri, quatenus in eo adhuc versatur, dolone malo eius factum est, quo minus perueniret atque extaret, est restituendum, 6) adeoque in solutione ante tempus commodum in representatione venit. 7) Supereft, ut animum adiiciamus ad restitutionem, quea non circa liberalitatem extorquendam versatur. Tum vel gratificationem sub collusione actio nostra concernit, vel ad alias res alienatas reuocandas dirigitur. Priori casu communicatio accepti facienda est inter creditorem, qui solutionem accepit, & reliquos credidores pari iure gaudentes, nisi his ex bonis debitoris

D 3

eadem



eadem portio solui possit: 8) potiores autem creditores solutum quidem repetunt, sed sine usuris intermedii temporis. 9) Posteriori casu res alienatae cum fructibus, qui tempore alienationis adsunt, vel post iudicium inchoatum percipiuntur, percipiue potuerunt, deductis impenis, quas possessor in rem aut fructus, vel ex voluntate creditorum fecit, non autem medii temporis fructus renunciantur. 10) Quod tamen ita est intelligendum, ut salua sit m. f. p. facultas impenis utiles in rem factas, quatenus res melior extat, sine laesione tollendi. 11) Praeterea sciendum est m. f. p. quidem vel ad leuissimam culpam teneri, 12) sed demum post inchoatum iudicium ad calum, quem vocant mixtum seu secundum quid tam, nisi res aequa apud actorem, aut eum, qui alienavit, fuerit peritura, praestandum obligari. 13) Ita si distinguimus I.L. in nostra actione tam ad rei, quam frumentorum restitutionem pertinentes, mirifico concentu inter se conspirant. Non est itaque, quod cum TITIO & LAVTERCACHIO d. l. aliisque multis censeamus, Ictos, quorum quidem fragmenta D. sunt inserta, ratione restitutionis frumentorum in nostra actione inter se, atque a se ipsis diffensisse. Meminisse tandem oportet nummos solutos reo esse reddendos, si in bonis debitoris extant. 14)

1) l. 14. h. 1.

2) l. 10. S. 20. eod. quem textum FEREZ. d. l. male de frumentis pendentibus accipit.

3) l. 1. eod.

4) l.

- 4) l. 10. §. 22. eod.  
 5) d. 1. §. 23.  
 6) l. 6. §. 11. l. 10. D. I. pen. C. h. t. p. 21. & 22. ex dictis  
 7) l. 10. §. 12. eod.  
 8) l. 6. de reb. auet. iud. possid.  
 9) l. 19. de iure fisci. l. 5. C. de priuil. fisci.  
 10) l. 10. §. 20. l. vlt. §. 4. h. t. l. 36. §. 5. de heredit.  
 petit.  
 11) l. 37. D. I. 5. C. de R. V.  
 12) l. 20. §. 21. l. 63. de hered. petit.  
 13) l. 14. in f. deposit. l. 62. de R. V. arg. l. 20. l. 40.  
 de hered. petit. Plura vide sis in voxt. C. ad D. tit. de  
 vsur. & fruct. & tit. de R. V. n. 34. MENCKE d. d. §. 8.  
 errat simpliciter statuendo fraudulentum semper possessio-  
 rem in mora versari, & ad casum fortuitum praestandum  
 esse obligatum.  
 14) l. 8. h. t.

## §. XVII.

*Quo tempore Pauliana, sit instituenda, & quam  
 diu duret.*

Nostra actionis, si non ad liberalitatem reuocandam  
 dirigitur, computatur annus utilis, seu quadriennium con-  
 tinuum, 1) quo experiundi potestas fuit, 2) & hoc tem-  
 pus quidem agere valenti currit ex die factae venditionis,

3)



3) aut factae bonorum excussionis, 4) aut notitiae alio modo adquisitae debitorem non esse soluendo. 5) Non ergo competit ex die, quo debitor difficultioris fit conuentionis. Nam quanquam tum fideiussor nondum excusso debitore principali potest conueniri, id tamen fit ex natura fideiussionis, quae ad nostram non potest adplicari actionem. Neque semper tempus moti concursus sufficit, cum, teste MENCKE §. 16. experientia doceat iudicem saepe temerario ausu concursum aperire, eumque haud raro ad instantiam debitoris de iniustitia conquerentis cassari. Quid vero, si ante excussionem creditor agit, neque casum, ex quo experiri potest, exprimit, an tum reus de hoc non excipiens possit condemnari? Non puto, quia contra ius manifestum, quod ad tempus, ex quo experiundi datur potestas, adfrinxit actionem 6) egit actor, & hoc supplendum est a iudice. 7) Errant igitur ii, qui cum BRVNNEMANNO ad l. i. C. h. t. necessariam hoc loco exceptionem excussionis esse credunt. Reiciendum tum libellum MENCKE §. 16. adfirmat: angebrachtermassen; cuius rationem in eo ponit, quod excusso tantum debitor euentus appareat, quae regula utplurimum, non autom generaliter vera est. Ego vero eo loci, quo iudex non ad anxietatem sollemnitatis formulaiae adfractus est, putauerim non libellum esse reiiciendum, sed sententiam in id esse concipiendam, ut actor probare teneatur den Grund seiner Klage. Alia quaestio haec est; an possessores ad excusionem debitoris sint ci-  
tandi? Id MÜLLERVS ad STRVV. h. t. th. 75. lit. γ. statuit,  
eius.


éiusque rationem in l. 39. de adopt. ponit. Sed non est, quod ipsius sententiae subscribamus, cum, si quid in excusione peccatum fuerit, possessori salua sit de eo excipendi potestas, & sic minime gentium excusione debitoris imperfecta laedatur. MÜLLERI autem sententiam consilii, prudentiaeque esse nemo non videt. Quodsi vero actio nostra ad renocandam tendit fraudulentam liberationem, ea tantum durat temporis, quantum superfuit actioni debitoris ante liberationem. 8) Actio deinde nostra, fin ad lucrum extorquendum dirigitur, non anni cancellis utilis includitur, sed est perpetua. 9) Restat, ut videamus, an hodierno iure m. f. p. se contra actorem praescriptione tueri valeat? Maxima id pars DD. moti c. f. X. de praescript. simpliciter negant. Quidam 9) hoc non obstante statuunt in praescriptione extintiva non ad fidei qualitatem esse respiciendum. Huic sententiae graues ob causas, quarum de numero sunt salus publica principiumque certum, quo dissentientes destituuntur, stabilendum, cum v. c. tenaces d. c. f. non debeant non praescriptionem reiicere criminum, ita subscribo, ut in foro fatear cedendum esse praeoccupatis aliorum opinionibus.

1) l. 6. §. vlt. l. 10. pr. h. t. l. 7. C. de temp. refit. Male diff. sentit. MENCKE §. 19.


2) l. 1. l. 10. l. 6. §. 14. h. t. l. 1. C. de ann. except. l. vlt. C. vnde vi l. 3. C. de praescr. 30 vel 40 ann.



- 3) l. 6. §. vlt. l. 10. §. 18. h. t.  
 4) l. 1. C. h. t.  
 5) l. 2. C. h. t. l. 6. de dolo malo.  
 6) l. 1. h. t. l. 1. l. 5. C. eod.  
 7) l. vn. C. vt quae desunt aduoc.  
 8) l. 10. §§. 22. 23. h. t.  
 9) l. d. §. 24. STRYCK. in V. M. D. h. t. §. 4. CARPZ. Resp. 83.  
 10) Inter hos sunt BERGER. elect. disc. for. t. 2. o. 5. p. 330.  
     WERNHER. t. I. p. 3. o. 73. t. H. BÖHMER. in I. E. P. p.  
     I. l. 2. t. 26. COCCET. in I. C. l. 44. t. II. qu. 2.







X 2310747

ULB Halle  
007 469 942


3



V018







B.I.G.

Farbkarte #13

1781.4.8  
TITULUS

TATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

A. XIX. A.  
ONE PAVLIANA,

31  
Q V A M

CRETO ATQVE AVCTORITATE

RIS ICTORVM ORDINIS  
QVA ELECTORALI ACADEMIA ERFVRTENSI

PRO GRADV DOCTORIS  
ANNEXIS PRIVILEGIIS ET HONORIBVS  
RITE CAPESENDIS

PUBLICO ERVITORVM EXAMINI SVBMITTIT

IAN. GVILIELM. WEHRN,

P. I. P. ATQVE I. R. E. ADV.

EDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI

IIX. CALEND. IVNII MDCCCLXXXI.

D. LITERIS HENR. RVD. NONNII, ACAD. A TYP.